

DE  
VARIO USU  
LITTERATURÆ ORIENTALIS.

---

DISSERTATIO ACADEMICA,

QUAM,

*ADN. AMPL. FAC. PHIL. ABOËNSI,*

PRÆSIDE

*Mag. PETRO MALMSTRÖM,*

LINGUO, ORIENTT. ET GR. PROF. REG. ET ORD.

Pro Gradu

*publice exhibet*

*GABRIEL KROGIUS,*

*Stip. Reg. Wiburgensis,*

*IN AUDIT. MAJ. DIE XXII JUN. MDCCXCI.*

---

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

IN S.M R:M M:TEM  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
EPISCOPO  
DIOCESEOS BORGOËNSIS,  
REVERENDISSIMO DOMINO  
*Doct. PAULO KROGIO,*

PATRUO PROPENSISSIMO,

SACRUM.

DE  
VARIO USU  
LITTERATURÆ ORIENTALIS.

§. I.

Orientalis dici consuevit Lingua, ab antiquissimis  
inde temporibus, in Oriente præsertim, latissi-  
mo usu celebrata, & in varias diffusa Dialectos, ex qui-  
bus Chaldaica & Syriaca Palmyrenaque cum Samari-  
tana, Phoenicia cum Hebraica & Punica, Arabica, Æ-  
thiopica, nec non Rabbinica,  $\alpha$ ) ad nostri ævi noti-  
tiam pervenerunt. — Nobilem hancce Linguam splen-  
didissimis Eruditi certatim extulerunt encomiis; & ex-  
tollendam esse, nos etiam postulamus. Nec tamen il-  
lis adsentimur ejusdem admiratoribus, qui singula-  
rem & Philosophicam profunditatem, qui Sanctitatem

A 2

&

---

$\alpha$ ) Dialectus Rabbinica, etiamsi, proprio loquendo,  
numquam fuerit vernacula, non tamen e numero  
Dialectorum Orientalium proscribenda. — Linguam  
Ægyptiacam antiquam huc etiam nonnulli immerito  
retulerunt. Haud quidem inficiandum, Linguis ipsis  
aliquid in origine fuisse commune; eas autem tem-  
poris successu in diversum plane abiisse, testantur  
monimenta; id quod cultiori vivendi rationi, ab  
Ægyptiis matūrius adoptatæ, procul dubio tribuen-  
dum. — Persicam, Turcicam, & reliquas hodie floren-  
tes Lingas Asiaticas cum Orientali nostra non esse  
confundendas, omnibus est in confessio.

+ ) 4 ( +

& Divinam originem, atque hinc omnes, quotquot mente tamquam concipi possunt, Perfectiones in finu ejus Judaico-superstitiosi venerantur. Aliæ omnino veriores & plurimæ adsunt rationes, Linguam laudissimam commendantes, quarum ex numero summa ejus *Antiquitas*, longissima *Duratio*, & *Divulgatio* latissima, nobis heic in limine, pro scopo nostro, præcipue sunt nominandæ. — *Antiquitatem* ejus loquuntur argumenta cum Historica, tum ex habitu ipsius Linguæ derivata; & hic profecto omnia summæ exhibet indicia vetustatis. Illorum quidem sententia dum est explosa, qui Linguam hancce quasi omnium primam & primorum Hominum vernaculam venditarunt; atqui sufficit, aliam nullam ex omnibus hodie cognitis, quantum hucusque compertum fuit, eidem antiquitatis præripere palmam. — Ubi porro *Durationem* & longævitatem ejus spectes, singulare prorsus exemplum est, & a communi Linguarum instabilitate immane quantum recedens, quod hæcce a remotissima inde antiquitate ad hodiernum usque diem, per plura annorum millia, vivam se conservaverit, nec nisi leviter immutatam. — Ad *Divulgationem* ejus & territorii amplitudinem quod denique attinet, hoc respectu aliis quibuscunque Linguis procul dubio antecellit; etenim quam late per *Asiam* & *Africam*, nec non aliquam *Europæ* partem, & olim regnaverit & hodierno tempore regnet, dictu est incredibile. — Patet igitur, Linguam Orientalem nobis unam esse in-  
star

\* \* 5 \*

star aliarum plurium, tam emortuarum quam hodie  
florentium, nosque ejus beneficio claris cuiusque æta-  
tis Gentibus fieri quasi coævos.

Hisce in antecesum observatis, animo præcipi  
quodammodo jam poterit, quantus & quam varius  
ex *Litteratura Orientali usus* hodieque sit exspectan-  
dus. Ubi autem id nobis sumsimus, ut Materiem ad-  
eo vastam, maximis Voluminibus suffecturam, pau-  
cis in pagellis pro virium modulo tractare conemur,  
oppido patet, id fieri non posse, nisi per summa eun-  
do capita, & momenta maxime præcipua leviter at-  
tingendo. Nos etiam, instituti hujus arduitatem pe-  
nitus introsipientes, probe fentimus, quantopere ne-  
cessè nobis sit, mitiorem a Te, L. B., expetere Cen-  
furam.

§. II.

In ipso hujus Argumenti limine, vulgaris illa no-  
bis occurrit & inveterata opinio, quod *Litteræ Ori-  
entales* hodie non nisi Theologis aliquem habeant usum.  
Falsam adeo & damnosam, atque ex ignorantia ori-  
undam opinionem, quæ amplissimam *Litteraturæ no-  
bilissimæ utilitatem* indignum in modum coarctat, ex  
sequentibus, brevissimis licet, abunde refutatum iri-  
speramus, dum simul constabit, Musas illas non in  
*Theologiam* solummodo, sed per universum Scientia-  
rum ambitum, lucem spargere lætissimam, uberrimam.

Quum ex cognitione Linguae cujuscunque terminus potissimum fructus sit colligendus, sc. vel ex Lingua ipsa per se spectata, vel ex Scriptis & monumentis ea consignatis, vel denique in Convictu cum Hominibus eadem loquentibus, & in negotiis iisum pertractandis; nos triplici hoc respectu Linguam nostram Orientalem jam examinemus.

1:o Ad primum illud quod attinet, sunt fortasse qui putent, nullam Linguam propter se esse addiscendam, Studiumque Philologicum, simpliciter consideratum, sterilissimum esse & inutile Memoriae onus, Ingenii autem & judicandi Vim eodem nequaquam exerceri. Hæc tamen vox eorum tantummodo est, quibus acumen ac dexteritatem ad res quascunque rite dijudicandas, atque in succum & sanguinem convertendas, parca denegavit Natura. Studium Linguarum in genere campum esse fertilissimum, in quo maxime profunda ac solida excurrat Philosophia, magni nominis Philosophi, β) nostro in primis Sæculo, extra omnem dubitationis aleam posuerunt, ut nihil jam dicamus de fructu insigni, qui ex eodem hoc Studio, nude spectato, in Historiam aliasque Scientias redundat. — Hæc autem omnia, præcipuo quodam jure,

---

β) DE BROSSES, HARRIS, HERDER, LOCKE, MEINER,  
MICHAELIS, MONBODDO, cet.

\* \* 7 \*

re, de Lingua speciatim Orientali valere, infra opportunior erit locus ostendendi.

2:0 Secundo illo respectu, sive qualitatem Scriptorum Orientalium sive numerum respicias, Litteraturæ nostræ gloria, omnium adplausu, maxime conspicua est & quasi triumphat. Et principe quidem loco, supremi honoris causa nominamus cœlestissima illa & Sacro-sancta Oracula, quæ hujus ministerio Linguæ promulgari clementissime voluit DEUS Optimus, Maximus. Absolutissimam eorum in foro Theologico dignitatem nemo est qui non perspiciat; at si quis eadem, sublimem eorum originem & usum sacrum mente abstrahendo, oculis mere Philosophicis contempletur, nihilominus fateatur necesse est, pretium eorum, in circulo humanæ etiam Sapientiæ, ineffabile esse atque omnem excedere mensuram.— Sequuntur Translationes atque Expositiones sacri Codicis Orientales, quæ omnes, præter usum suum Theologicum, in Philosophicis etiam insignem habent utilitatem.— Succedit reliqua Scriptorum Orientalium cohors, quæ numero stupendo per omnem Scientiarum Artiumque chorum longe lateque sese diffundit, *Arabico* in primis ac *Syriaco* Idiomate consignata. Scilicet *Arabia* & *Syria*, post Sæculum æræ Christianæ sextum, Musas ex reliquo Orbe toto exsulantes hospitio benigne exceperunt, & felicissimo coluere successu. Ex immenso illo Eruditionis Thesauro, exiguæ

guia valde pars Typis est evulgata, maxima in Manuscriptis pasim latente. Hinc autem novus idemque laetissimus bonis Litteris omnibus patet prospectus. Nam [ut verbis utamur Viri, γ) qui Litteraturæ hujus Principatu hodie claret] quemadmodum Sæculo decimo quinto, *Græcis* ac *Romanis* monumentis in lucem denuo prodeuntibus, Scientiæ in *Europa* fuerunt renatæ, ita Gazæ Orientis, in Bibliothecis nunc sepultæ, sed olim procul dubio recludendæ, novam sperari jubent Litterarum παλιγγενεσιαν. Historiam in primis, cum Civilem tum Ecclesiasticam & Litterariam, Geographiam, Mathesin atque Astronomiam, Medicinam & Historiam Naturalem, Philologiam Litterasque elegantiores, plurimum inde esse lucraturas, spe præcipere licet certissima. — Multa quoque inopinata, & quæ nemo hodie cogitat, eo ipso detectum iri, Societati humanæ bonisque Litteris profutura, ex iis, quæ experiri antehac licuit, augurio maxime probabili nobis polliceri sustinemus. *Arabes*, quo tempore Litterarum studiis claruere, non tantum ipsi in Scientiis & Artibus quibuscumque multa præstiterunt egregia, sed & conquisita undique præstantissima quævis aliarum Gentium Scripta in suam transtulere Vernaculam. Inprimis Auctores *Græcos*, in quovis Disciplina-

---

γ) Illustr. MICHAELIS, in Libro, cui titulus est: Beurtheilung der Mittel, welche man anwendet, die ausgestorbene Hebräische Sprache zu verstehen; pagg. 236. 252.

\* \* \* \*

narum genere maxime præclaros, Arabice converte-  
runt; quo deinde factum, ut *Europæi* non solum primam  
suam horum Auctorum notitiam, dum Fontes *Græcos*  
ipsi adire nondum sciebant, ex Versionibus *Arabicis*  
totam hauserint, verum etiam in Versionibus istis con-  
servata invenerint plura *Græcorum Scripta*, quæ in  
Fontibus ipsis jam sunt deperdita, vel saltim reperi-  
ri hucusque non potuerunt. <sup>d)</sup> Et hinc sperare lice-  
bit, Litteraturam *Arabicam Græcum* supplendæ atque  
amplificandæ in posterum quoque esse inservituram.  
At præter Scripta *Græcorum*, quicquid tunc tempo-  
ris eximum habuerunt Linguae *Ægyptia*, *Chaldaica*,  
*Syriaca*, *Perfca antiqua*, *Indica*, &c. id omne suum  
fecerunt *Arabes*, in Vernaculam transferendo. Quod  
si harum quoque Versionum nonnullas recuperare li-  
cuerit, quam amplum & luminosum, in emortuam  
prisci Orbis notitiam resuscitandam, Studia *Arabica*  
nobis patefacient prospectum! — Præter jam memo-  
rata, alia quoque nonnulla supersunt heic minime si-  
lenda Monimenta, *Phœnicia*, *Punica*, *Palmyrena*, &c.  
quæ etsi per pauca sint, pretiosissimis tamen Antiqui-  
tatis fragminibus optimo jure accensentur.

3:o Denique Lingua Orientalis, quatenus hoc  
tempore usu vivo celebratur, nobis consideranda. Ut

B

de

---

<sup>d)</sup> Sic e. g. nonnulla ex *Apollonio Pergæo*, Geometra,  
nec non ex ipso *Archimede*, *Græce* deperdita, *Arabi-*  
*ce* fuerunt invenienta. Vid. HAMBERGER,

de variis hodie usitatis Idiomatibus, e *Syriaca*, *Samaritana* atque *Aethiopica* Dialecto oriundis, *Maronitico*, *Nabathæo*, *Mendaico*, *Axumitico*, *Amharico*, &c. iam nihil dicamus, *Arabica* præcipue Dialectus lassisimam tuetur dominationem. Hæc enim per *Syriam*, *Palæstinam*, *Diarbecram*, *Bagdadum*, *Arabiam*, *Egyptum*, per Tractum *Africæ* qui *Barbaria* dicitur, per Deser-  
tum *Sarah* & Imperium *Maroccanum*, in Regnis *Mo-  
sambica*, *Mombaza* & *Melinda*, nec non in *Granada*, *Hispaniæ* Provincia, nativo ac vernaculo teritur usu;  
& præterea, quam late patet Religio *Muhammedana*, inde a *Constantinopoli* ad extremas usque Insulas *Mo-  
tuckias*, tamquam Lingua universalis, cum in Sacris  
tum aliis in Negotiis, Politicis ac Forensibus, Litte-  
rariis, Mercatoriis, frequentatur. Oppido patet,  
quantopere cognitu digna & utilis sit Lingua hæcce  
immortalis, quæ per totum Orbis antiquitus noti  
Trientem dominatur, & ultimos fere Orientis atque  
Occidentis terminos conjungit. Ea autem, hoc re-  
spectu, duplii præsertim se nobis commendat utili-  
tate:

A) Ad *Negotia*, tam *Politica* quam *Mercatoria*, non  
modo apud *Turcici* Aulam Imperii, sed & cum Populis,  
qui *Mediterranei* Maris in *Africa* *Asiaque* Oras tenent,  
pertractanda. Huc præcipue spectant frequentia Præ-  
celsæ Cancellariæ Regiæ Jusfa atque incitamenta, qui-  
bus admonita Juventus Academica, ut si cui oppor-  
tu-

\*) II (\*)

tunum fuerit, in Studia Orientalia, publicæ Rei tan-  
topere profutura, operam serio impendat.

B) Ad *Itinera Litteraria* in Oriente instituenda.  
At quispiam fortasse interrogabit, cui bono Itinera  
hujusmodi, in Terris barbarie ac superstitione obruti-  
tis, instituantur. Respondemus, Orientem hodieque  
partem esse Orbis maxime conspicuam, & licet nil  
fere nisi rudera pristini Splendoris supersint, hæc ta-  
men Spectatori, acuminis & judicii pleno, insigne ha-  
bere momentum. Profecto Loca ista, illustrissimo-  
rum olim Eventuum Scenæ, prima Scientiarum Ar-  
tiumque, verioris Religionis & Societatum Civilium,  
quid? quod totius Generis humani incunabula, ma-  
xime sunt veneranda & dignissima quæ a nobis per-  
noscantur. Tot insuper tamque diversæ Nationes,  
nunc ibi degentes, tot tamque vasti Terrarum tractus,  
ab iisdem habitati, omnem nostram merentur atten-  
tionem. Peregrinationes itaque Orientales, præter  
usum suum Antiquarium, tam sacrum quam profa-  
num, maximi sane faciendum, alios quoque in cogni-  
tione Gentium tam Politica quam Philosophica, in  
notitia Linguarum ac Religionum, in Geographia tam  
Physica quam Civili, in Historia Naturali & Scientia  
Oeconomica, &c. illustranda atque amplificanda, u-  
sus habent longe uberrimos.

§. III.

Ut amplissimus Litteraturæ Orientalis in quoli-  
B 2 bet

bet Scientiarum genere distinctior pateat usus, eum, has  
Sigillatim percensendo, brevissimis jam attingere licebit.

Et omnium quidem primo in scenam prodeat *Theologia*, Scientiarum princeps ac Divinisima. Litteraturam nostram heic Reginam esse & Sceptrum tenere, omnes consentiunt; illa tamen multo, quam vulgo creditur, latius regnat. — Ad Cœlestia V. T. Oracula feliciter illustranda, non sufficit, Fontes ipsos Hebraicos unice persecutari; sed Orientales eorum Versiones & Commentarii simul consulantur, quin totus Linguae ambitus, adeoque profana etiam Orientalium Scripta in auxilium advocentur oportet. — Neque solos V. T. Thesauros Litteratura hæcce Mortalibus recludit, verum etiam ad Scripta *Novi Fæderis* rite intelligenda mirifice conducit. Orientalium N. T. Versionum & Commentariorum heic non prædicabimus utilitatem. Unum adulisse sufficiat: In Textu utriusque Testamenti Sacerrimo, Stilus & Linguae, etiamsi diversissimæ, genius plane est idem; Vetus illud Novi est fundamentum, & Religio *Christiana Mosaicae* superstructa. Illam igitur, absque plena hujus cognitione, funditus perspicere non datur. — Philologiam Orientalem universam, generatim loquendo, Theologis non solum dignissimam, verum etiam absolute necessariam esse, ex allatis luculentissime concitetur. Manifeste id quoque probant exempla Dogmaticorum veterum quorundam non-Philologorum,  
qui

qui Dicta sacra aliquando in sensus plane alienos, ad opiniones præconceptas fulciendas, pio quidem consilio, sed misere detorserunt, atque eo ipso Doctrinæ sanctissimæ majora intulere damna, quam ipsi cum omni sua pietate umquam valuerint refarcire.

§. IV.

In Studio *Philologico*, universim spectato, maximo quoque Litteratura nostra est usui; & licet hic valde sit multiplex, duplii tamen sub adspectu, nempe vel ut *Specialis*, vel ut *Generalis*, commode poterit considerari.

Usus *specialis* in hac vel illa Lingua particulariter cognoscenda se exserit. Hoc autem respectu, Linguas alias magis, minus alias juvat Orientalis, sc. pro minori vel majori sua ab iisdem discrepantia. — Ad posteriorem Classem referendæ sunt Linguæ nostræ Occidentales, quæ nihil quidem cum Lingua Orientalium habuisse videntur commune, at temporis tamen successu, varios per eventus, plura ab iis Vocabula sunt mutuatæ. — Ad Classem priorem pertinent Linguæ, quæ vel per originariam quandam cognitionem, ut *Ægyptia antiqua*, & nata inde *Coptica*, vel per commixtionem accesoriæ, ut *Perfica* recentior & *Turcica*, magnam Vocabulorum & Phrasium vim cum Orientali habent communem.

Alter usus Litteraturæ nostræ Philologicus ad Linguas omnes in genere, s. ad Studium Philologicum generaliter spectatum, sese extendit. — Studium hocce non nisi ex pluribus Linguis inter se collatis perfici poterit, & quo plures quis calluerit, eo plenius unamquamque callet. Atqui primas inter, hoc consilio addiscendas, Orientalis summo jure habetur. Scilicet in eodem hoc Studio, duo præcipue sunt Capita maxime consideranda: *Scientia Etymologica & Grammatica universalis*. Illa Sermonis materiam, hæc respicit formam. Quo altius Lingua quævis ad originem adscendat, eo majoris Etymologo est facienda, & quo magis ab aliis differat, eo eminentiorem in Grammatica universalis usum præstabit. Orientalis autem nostra non solum omnia prioris originis vestigia prodit, sed & qua totam suam constitutionem ab aliis plerisque insigniter discrepat; & pluribus sane haud opus est argumentis ad eminentissimam ejus in Philologia generali præstantiam demonstrandam. — Unum tamen de præclaro ejus usu Etymologico addamus: Celeberrima de *primitivo & radicali Vocum Significatu Disceptatio ex Linguis recentioribus magisque Philosophicis*, in quibus Physicarum vestigia Significationum sæpiissime sunt oblitterata, vix poterit decidi; atqui ex Orientali, quæ quanta sensualis & nil nisi Pictura quædam est, tutissime grandis illa deciditur Quæstio, quæ non solum in Philologicis ordinem parit & lucem exoptatissimam, verum etiam in Philosophia, ut infra videbimus, longe maximum habet momentum.

§. V.

## §. V.

Linguam, a remotissima inde Antiquitate ad nostra usque tempora, omniumque latissime dominatam, quæ immensam insuper ostentat copiam Monimentorum, ab ipsis Generis nostri natalibus per omnes ejus ætates progredientium, hanc Linguam, fidissimam omnium Sæculorum & Gentium illusterrissimarum Præconem, in foro *Historico* locum omnino principem occupare, nemine monente, ultro omnibus patebit. — Diversa autem Historiæ genera singulatim percurramus, in antecesum generaliter observantes, notitiam rerum Historicam non solum ex narrationibus, quas Lingua tradit, magis minusve expressis esse hauriendam, sed & persæpe e finu ipsius Linguæ, simpliciter consideratæ, prosperrimo erui successu.

**I:0 Scientia Antiquaria.** Quicquid in hæc parte novimus maxime præcipuum & genuinum, id omne Orientalibus referimus acceptum; & in primis heic nominanda est *Mosaica* Monimentorum Collectio, quæ, ut Scriptis quibuscunque hodie residuis ætate antecellit, ita etiam inter Antiquarii subsidia Studii longe pretiosissimum est & maxime suspiciendum. Ea antiquissimos complectitur Mundi Annales, cum amabili candore & nobili simplicitate exaratos; & absque ejus beneficio, primæ Artium, Scientiarum, Religionum,

num, Societatum, Gentium, Imperiorum, quid? quod totius Generis atque Orbis nostri origines nobis forent ignotæ. — Ejus insuper ope, quæ *Scientiam Mythologican* obvolvunt, tenebræ dissipari aliquando posse videntur.

2:o *Historia Civilis.* *Oriens* non solum in prima Mundi infantia, sed per omnes ejus ætates, grandia eventuum ac rerum gestarum dedit Spectacula. Amplissimas Historia ejus loquitur Gentes, quovis fere ævo maxime inclitas, dignissimas quæ a nobis cognoscantur. Illustrissimas nonnullas sufficiat nominasse, ut *Asyrios*, *Persas*, *Arabes*, *Mogolos* ac *Tataros*, qui omnes, alii post alios, universale per præcipuam Orbis habitabilis partem tenuere imperium. ε) Neque Orientem solum juvant Historica ejus monimenta. Historia *Europæ*, per totum medium quod dicitur Ævum, cum Orientali prorsus cohæret, & Periodus ista, nobis adeo obscura, e Scriptis *Arabicis* optime illustraretur. Quin Litteraturam Orientis in Historia ultimi quoque *Septentrionis* aliquem usum habere, testantur Nummi illi *Cufice* inscripti, qui circa Mare Balthicum, numero immenso, in terra fuerunt inventi.

Heic

- 
- ε) Ex ignorantia Linguæ *Arabicæ* procul dubio derivandum, quod tritisima nobis Compendia Historica non nisi quatuor numerent Monarchias universales, & ne minimam quidem injiciant mentionem Monarcharum ac Populorum, qui *Romanis* nonnumquam latius sunt dominati,

Heic præterea non silendus eximus ille usus Historicus & Antiquarius, quem Orientalis nostra cum aliis Linguis habet cōmūnem, quod sc. ex cognatione Linguarum ad propiorem vel remotiorem ipsarum Gentium cognitionem ratiocinio concluditur minime fallaci.

3:o *Historia Religionum.* Religiones, generaliter loquendo, vel Polytheisticæ sunt, vel *unius Dei cultu insignes.* Harum præcipuae ac notissimæ sunt *Judaica*, *Christiana* & *Muhammedana*. — *Polytheismi* originem, progressus, & plures ejus species, præsertim e sacrī V. T. Libris cognoscere licet. — Religiones *Judæorum* & *Muhammedanorum* ex Litteratura Orientali totas pendere, neminem fugit. — Quantopere etiam ad natales sanctissimæ Religionis *Christianæ* illustrandos eadem hæc Litteratura conduceat, ex iis, quæ §. III. jam dicta sunt, intelligitur. Inprimis autem Sectæ & Cœtus innumeri Christianorum *Orientalium*, *Armeniorum*, *Iberiorum*, *Chaldæorum*, *Albaniorum*, *Æthiopiorum*, *Coptarum*, *Perſarum*, *Tatarorum*, &c. & olim & hodie florentes, qui ab *Europa* fere ignorantur, non nisi Orientalibus e monumentis sunt cognoscendi.

Sunt quoque aliæ Religiones *singulares* & minus celebratæ, ζ) quarum cognitio ex eodem hoc fonte haurienda.

4:o *Historia Scientiarum & Artium.* Hæ quoque, ut alia omnia, in *Asia* natæ, & Lumen earum, Solis instar benefici, Tractus Orientales primos collustrare, atque exinde ad Occidentaliores quoque illustrandos augustum suum tendere debuit cursum. Prima igitur hujus Disciplinæ pars [quæ sc. *Ortum* & initia Scientiarum Artiumque tractat] Orientalibus præcipue nititur monumentis; ɳ) & ubi expressa deficiunt testimonia Historica, ex interno Linguæ gremio lucem sæpissime lucratur. ɳ)

Nominatim *Historia Artis scribendi*, & diversi *Gradus*, quibus Divinum istud Sonos visibiles reddendi Artificium a rudibus principiis ad perfectionem paullatim adscendit, ex hac Litteratura egregie illustrantur. Inprimis Gradus ille inter antiquissimam Symbolicam & recentiorem Alphabeticam scribendi rationem intermedius, qui *Scriptura Syllabica* absolutebatur, non minus e *Scriptura Orientali* in genere, quam ex *Aethiopica* in specie, luculentissime innotefecit. — Inde quoque veros edocemur natales *Chara-*  
*cte-*

ɳ) Alia ut jam sileamus, Scripta in primis *Mosaica*, & *Liber*, qui a *Zobo* nomen traxit, perantiquus, in hac etiam parte, monumenta nobis sunt pretiosissima.

ɳ) Sic e. g. Vox ☽, quæ & *Imaginem* & *Umbram* significavit, prima Artis Pictoriæ initia haud ambigue prodit.

eternum Alphabeticorum, qui apud Nationes quaslibet viguerunt & vigent, hosque omnes ex antiquissima Orientalium Scriptura Symbolica, etiamsi specie tenuis ab hac diversissimos, vere esse enatos. i) — Plura hujusmodi, cognitu jucunda atque utilia, quae e Scriptura Orientali deduci posunt, nimia Loci hujus angustia non capit. n)

Neque tamen initia tantum & rudimenta Scientiarum Artiumque, sed & eximia earum Incrementa, in monumentis Orientalium invenienda. Laude earum, temporibus antiquissimis, Chaldaei, Phoenicii, Aegyptii, &c. sequioribus autem, Arabes ac Syri inclauerunt, & reliquarum Gentium fuere Magistri. —

C 2

Quod-

- i) Characteres alphabeticos Europeos ab orientalibus ortos esse, facili negotio constat. Hos autem ad Symbolicam scribendi rationem in origine tuisse efformatos, & nomina eorum & figuræ demonstrant. — De Characteribus Sinenium, Japonensium, &c. utpote hodieque Hieroglyphicis, non est quod dicamus.
- n) Obiter heic observemus, abundantem, quæ in Grammatica Hebraica conspicitur, copiam Punctorum, etiamsi veræ Hebræorum pronunciationi tradendæ haud sufficiat, nobis tamen offerre ansam meditandi, quomodo in Linguis hodiernis Scripturam emendemus ac perficiamus, & quomodo Soni vel plane diversi, vel saltim diversimode pronunciandi, Signis quoque notentur diversis.

Quodnam fastigium antiquo in Oriente ingenuæ adscenderint Artes, stupenda illa testantur Monimenta, quorum nonnulla Miraculis Mundi adnumerata sunt, & vastatricem Sæculorum vim superare videntur. — Atqui *Arabum* in primis gloria litteraria numquam peribit. Ipsis præcipue debemus, quod sub nocte medii Ævi densissima, Scientiarum lumen in Mundo non fuerit extinctum; nam radii ejus, Ævo isto, Europæum infra Horizontem occidui, ad illorum Cœlum clarissima serenitate collustrandum pergebant, & exinde demum ad nostras oras, post longam absentiam, denuo visendas revertebantur. <sup>λ)</sup> — Sic perpetuam illam & maxime notabilem Scientiarum per Terras Circulationem Monimenta Orientalium illustri declarant testimonio, & simul docent, Populorum istorum nomina, in Historia Litterarum & Artium, quam sacer sint ac veneranda.

5:o *Historia Hominis.* Scientia hæc nobilissima, Historiæ medulla & Philosophiæ certissima dux, cum id sibi habeat propositum, ut Historiam Generis nostri & diversos, per quos progressum fuit, Culturæ gradus persequatur; patet, præcipuam & maxime arduam ejus esse partem, quæ nativum Humanitatis

sta-

<sup>λ)</sup> Hinc factum, ut Scientiæ quævis & Artes liberales, medio isto Ævo, ab Europæis *Studia Arabicæ* dicrentur. Vel hoc unum ad ea, quæ attulimus, probanda sufficeret.

21

statum primosque culturæ gradus, a nostro longissime diversos, pertractabit, & ea proinde Scientiæ hujus subfidia esse omnium maximi facienda, quæ ad statum istum illustrandum propius accedunt, & patentiora minusque oblitterata exhibent ejusdem vestigia. Hoc autem Litteratura nostra egregie præstat, five Linguam nude spectes, five Monimenta. Quemadmodum enim Linguae in genere sunt quasi Tabulæ, quæ ingenia Hominum, ideas, mores, culturam maiorem vel minorem, depicta repræsentant, ita Orientalis in specie infantilem Generis nostri conditionem vividissimis & maxime genuinis depingit coloribus, & originarium simul idearum morumque habitum, ac primos ingenii humani gressus, dilucide monstrat. Cum Lingua autem, ad idem monstrandum, conspirant Monimenta. — Quid speciatim ad Doctrinam Linguarum illustrandam [quatenus hæc ad Historiam Hominis pertinet] Litteratura nostra conferat, ex iis, quæ §. IV. allata sunt, intelligitur. — Historia insuper Orientalis majora atque illustriora, seu in bonam partem seu in malam, ac Historia quævis alia, ostentat exempla. — Ex his autem omnibus conficitur, Litteraturam istam, præ alia quademnumcunque, ad Historiam Hominis dilucidandam, & apprime utilem esse & absolute necessariam.

§. VI.

Succedant Scientiæ præcipuæ in Studio Historico  
auxiliares.

1:o *Studium Genealogicum.* Non solum derivatio-  
nes ac series Familiarum, in Terris Orientalibus quo-  
vis ævo celebrium, sed & primas Gentium omnium  
Stirpes, quin Genealogiam totius Generis humani  
antiquissimam, Litteraturæ nostræ beneficio cogno-  
scere licet.

2:o *Chronologia.* Duæ insignes *Æræ*, nempe an-  
tiquissima illa ab ipsis Mundi natalibus decurrentis, &  
recentior Populorum Orientalium s. *Hegirica*, non  
nisi Orientalibus ex Monimentis cognoscendæ.

3:o *Geographia*, tam *Physica* quam *Civilis*. Quan-  
tum ad *illam*, Scripta in prīmis *Mosaica*, sobrie intel-  
lecta, faciem Orbis terrauei antiquissimam, & ma-  
gnas quas subiit mutationes varias, Physicis conve-  
nienter principiis, nobis adnunciant. — Quod ad *Ci-  
vilem* attinet, notitia Orientis & ad finium Terrarum  
*Geographica* Litteraturæ nostræ tota debetur, ita qui-  
dem ut *Geographia* horum Locorum *antiqua* ex mo-  
nimentis *Hebræicis*, recentior ex *Arabicis* ac *Syriacis*,  
μ) recentissima vero & hodierna, per *Itinera* in Lo-  
cis istis instituta, innotescat.

4:o

---

μ) *Arabum* & *Syrorum* in *Geographiam* merita longe  
sunt majora quam vulgo cognoscuntur, quum ple-  
raque eorum Scripta huc pertinentia in Manuscri-  
ptis adhuc delitescant. Heic unum *Abulfedæ* nomen  
sufficit allegasse.

4:0 *Studium Numismaticum.* Nummi Orientales, cum antiquiores, *Phœnicii*, *Samaritani*, &c. tum in primis recentiores, *Arabice* inscripti, Classem Numismatum constituant adeo insignem, ut absque eorum cognitione, quæ Litteraturæ hūic tota debetur, Scientia Numismatica valde manca sit atque imperfecta.

### §. VII.

Campum sic emensi Historicum, ad *Philosophicum* pergamus. — Philosophiam ex Litteratura Orientali plurimum proficere, supra jam indicatum. Ipsa tamen Scripta Orientalium Philosophica heic non alleganda. Quamvis enim *Arabes*, illustri *Abbasidarum* ævo, Philosophiam quoque stricte sic dictam excolare sint conati; quamvis etiam illi, pariter atque Orientales reliqui, Sententiis Moralibus condendis egregiis semper inclarerint; ista tamen omnia nobis heic minoris facienda. Alia omnino & longe pretiosiora, ex Lingua ac Monimentis Orientalium, in Philosophiam redundant emolumenta. — Litteraturam istam, ad Historiam Hominis illustrandam, plurimum conferre, ex §. V. jam patet. Ubi vero juxta me minerimus, Historiam hancce solidissimum veriori Philosophiae præbere fundamentum, quin ipsam potius totam esse Philosophicam; eo ipso simul constabit, quam amplum Litteratura nostra in Philosophicis habeat usum; ideoque non est quod pluribus eum

eum heic persequamur. Duo tamen addere iubet, generalius observanda, quorum unum Doctrinam *Idearum*, alterum vero Doctrinam *Signorum*, quibus Ideæ exprimuntur, respiciat.

A) Litteratura Orientalis non solum primitivum Idearum particularium habitum nobis saepissime revelat, sed & arduam illam Quæstionem, ex qua omnis in Philosophia lux vel obscuritas pendet, de prima *Idearum omnium Origine*, generaliter decidit. Si ad universalem & absolutam Linguæ hujus Sensualitatem rite semper attendissent Philosophi, ambiguum illis haudquaquam visum fuisset, quo ordine & gradu Mens humana in Ideis acquirendis fuerit progressa. v)

B) Qua ratione Philologiam generalem juvat Lingua Orientalis, [vid. §. IV.] eâdem quoque ratione confert ad *Philosophiam Linguarum* sublevandam; dum sc. hæc formationem & naturam Logique, originem, infantiam, incrementa, perfectiones ac defectus Linguarum, universalem earundem constructionem, mutuum Idearum & Linguarum ad se invicem formandas ac perficiendas influxum, & alia hujusmodi profundæ indaginis Argumenta perscrutatur.

### §. VIII.

---

v) Cfr. pag. 14.

## §. VIII.

At non solum Philosophis profunda rimantibus,  
sed & ingeniosis *Litterarum elegantiorum Cultoribus*,  
*Litteratura nostra insigne habet momentum*. Poësin,  
antiquissimam Mundi Eloquentiam, Orientales, in-  
primis *Hebræi & Arabes*, a remotissimis inde tempo-  
ribus, felicissime coluerunt. ¶ Ipsos enim, ab ideis o-  
mnibus abstractis immunes, & per physicum Climatis  
influxum, incredibili Sensu vividitate ac vehemen-  
tiâ animatos, ad Studium Poëticum Natura ipsa fin-  
xisse videtur. Lingua quoque eorum, tota sensualis,  
Imaginationi atque Affectibus esse debuit quasi ver-  
nacula, & eo ipso ad Dictionem Poëticam, præ Lin-  
guis recentioribus ac Philosophicis, maximopere ad-  
commodata. Factum inde, ut Poësis Orientalium e-  
minentissimo gradu fervida sit atque animosa, & nil  
nisi picturas atque imagines ostendat vividissimas, for-  
tes, audaces, gratiae plenas ac majestatis; nec sane  
præcipua illa Artis hujus Lex: *Ut Pictura, Poësis e-  
rit*, usquam terrarum religiosius fuit observata. Idcir-  
co Oriens eos producere valet Ingenii foetus, qui ex-  
cellentissima quævis aliarum Gentium Poëmata æmu-  
lantur, ne dicam antecellunt. Majestatem ac pompam,  
qua *Hebraica* resulget Poësis, vix imitabilem, & subli-  
mi ejus materia dignissimam, omnes admiramur. De

D

Arab.

¶ Non tot habet Poëtas, aut habuit umquam reliquæ  
Orbis, quot iola *Arabia*. ERPENIUS.

*Arabica*, testimonium adhibeamus Viri, o) qui Arbiter harum rerum est sollertissimus: "Si cum *Arabum ac Persarum Carminibus* comparetur elatissima *Europæorum Poësis*, remisse protinus fluere & quasi labi videatur." Patet igitur, in choro Musarum, quam eximum Orientales nostræ occupent locum.

## §. IX.

Scientias reliquas circulo complectamur arctiori, non quod minor in iis Litteraturæ nostræ utilitas est, sed quia locus nos plane desiceret, si omnes æqua persequeremur prolixitate.

1:o *Jurisprudentia, & Scientia Politica.* Jura atque Instituta Populorum Orientalium, hujus Litteraturæ ope, cognoscere licet. In his præcipue memorentur oportet Constitutiones magni illius Imperii *Chalifiti*, quod plura per Sæcula splendidissime floruit, Legibus gubernatum sapientissimis; omnium vero maxime Jura *Mosaica*, quæ Legislatoribus Christianis cognitū plane sunt necesaria.

2:o *Scientia Medica.* Hanc *Arabes* summo colore succesu, & praxi sua Medica *Græcos* veteres infinitum in modum superarunt. *Arabibus* debetur prima Medicinæ in *Europa* restitutio; quin cuncta fere superioris Sæculi remedia ex uno *Avicenna* manasse, ejus temporis Medici fatebantur. Ex Arabicis in *Hippocratem, Galenum & Dioscoridem* Commentariis multa ho-

---

o) Nob. JONES, in *Comment. Poëf. Asiat.*

hodieque exspectari posse utilia, Ill. GRÜNER testatur. π)

3:o *Historia Naturalis, & Studium Oeconomicum.*  
 — *Historia Naturalis*, Litteraturæ hujus ope, lucrum facit immensum; A) per *Itinera Orientalia*, quæ absque cognitione Linguarum, in Locis istis dominantium, utiliter institui nequeunt; B) ex *Scriptis Arabicis* ad hanc rem pertinentibus. Hæc sane & maximo numero supersunt, & multa continent valde proficia, quæ alibi frustra quæruntur. Præterea nonnumquam Historiam Naturalem earum tradunt Regionum, quæ Itinerantibus nostro tempore sunt fere inaccessæ; aliquando etiam eas describunt Species vel Genera, quæ hodie in Locis istis non amplius dantur. σ) Quantum insuper Scripta ista ad Studium hocce conferre possint, Opera Duumvirorum immortalium, BOCHARTI & CELSII, egregio demonstrant documento. — *Oeconomiam quoque Arabes* eximie coluerunt; & multa ex *Scriptis* eorum, in hac etiam parte, hauriri posse utilia, non est dubitandum. τ) Neque *Itinera* in Oriente instituta usu Oeconomico carent.

4:o

---

π) Vid. *Præf.* ad REISKII *Opuscula Medica ex Monim, Arabum.*

σ) Exemplum vid. in HARRIS *Philological Inquiries*, pag. 547.

τ) Sic Manuscriptum quoddam *Arabicum*, in Bibliotheca Reg. Escorialensi servatum, dum varia Hispano-A-

*Scientiae Mathematicæ.* Etiam si *Europæi* in his partibus pristinos suos Magistros longe antecesserunt, Scripta tamen *Arabum Mathematica, & in primis Astronomica*, sua minime carebunt utilitate.

## §. X.

Sic præcipua nonnulla immensæ Materiæ capita, Indicis cuiusdam in modum, strictim attigimus, similes Viatori, temporis angustia summopere presso, qui etsi per amoenissima proficiscatur Vireta, pedem tamen nullibi figere audet, sed præcipitante usque proruens gradu, paucissimas hinc inde Florum summitates manu fugitiva decerpit. — Ut autem fructus ex Litteratura nostra adeo multiplices plene percipi queant, fines ejus in ulteriora usque prorogandi. Thesauros Manuscriptorum, jam latentes atque inutiles, in lucem prodire fortasse jubebit Gratia AUGUSTORUM ac Mæcenatum munifica. Casus quoque & Tempus multa inopinato dabunt, quemadmodum Monimenta *Phœnicia* & *Palmyrena* haud ita pridem fuere detecta. Sic spem præcipimus fore, ut *Litteratura Orientalis*, venientibus Sæculis, in notitiam Orbis antiqui, & in campum Scientiæ Divinæ humanæque universum, novam plane, & de qua nihil hodie cogitare possumus, longe lateque spargat Serenitatem.

*rabum Studia Oeconomica* pertractat, simul docet, *Studia ista*, sub eorum imperio, multo lætius, ac nostro hoc evo, in *Hispania* floruisse. Vid. HARRIS, l. c.